

1. Antony / Pauli / Diss. De  
Omoonymia Fidelium, Halle  
1712.
2. Buddei / Joh. Franc. / Diss. sistens  
Antiquitatem Baptismi Initia-  
tionis Israelitarum vindicatam  
contra adscribentes ipsi Originem  
Christianam, Jenæ, 1710.
3. ————— Defensio Doctrinae  
orthodoxae de omnibus conceden-  
da Scripturae Sacrae Lectione  
Occasione Bullae Antiquae Quernellia-  
nae, Jenæ, 1715.

4. ——— Diff. de idoneo Sacrarum  
Literarum Interprete, jena, 1720.
5. Daffovv f. Theod. / Diff. Miasm  
Malach. 1. com. II. non indicari,  
Kiloni, 1714.
6. Deutschmann f. Joh. / Diff. Demon.  
Stras Symbolum Apostolicum  
Adami prolapso, Wittenberga  
1694.
7. Fechtz f. Joh. / Diff. de Suggestio-  
nibus Satanae, Rostocky, 1706.
8. ——— Diff. sistens Christologiam  
paganam torculariam ex Jes.  
LXXIII vers. 1-6 eductam, Rostocky,  
1714
9. ——— Diff. Vom Geist und Kraft  
Rostocky, 1714.
10. Grebenitz f. Elis. / Diff. de Peccato  
Originali, 1663.

11. Holtzfuß | Bartholdi | diff. de  
S. S. Trinitate, Francofurti ad Viadrum  
1704.

12. Lange | Joach. | diff. de justa  
Concionum mensura, Hald, 1729.

13. ——— | diff. de Concionum  
forma, Hald, 1730.

14. Oleary | Christoph. | Demon-  
stratio <sup>Gottfr.</sup> apostolica Resurrectio-  
nis Jesu Christi, ex 1. Corinth  
xv, vers. 3. Lippid, 1709.

15. Pfaffin | Christoph. Matth. |  
diff. recensens Controversias  
de Gratia et predestinatione,  
Tubingae, 1707.


16. Rambach | Joh. Jac. | diff.  
sistens summam Divinitatem  
Jesu Christi, Hald, 1730,  
+ exjuramentis per se ipsum  
demonstratam,

17. Schmidij I. Sebast. / Diff. de  
Efficacia Sacramentorum Occasione  
diti Rom. 10. vers. 11. Argentini  
1681.
18. Sontay I. Christoph. / Diff. exponens  
Constitutionem emortualem a Saeculo  
Altorfi, 1701.
19. Stenderi I. Chr. Augusti. / Diff.  
de Allegoria Paulina, Wittenb.  
Bergr, 1714.
20. Strimery I. Sam. / Diff. de  
Sacrificijs, Francofurti, 1704.
21. Walther I. Mich. / Diff. de Deo  
abscondito, Wittenbergo 1690.
22. Wideburg I. Henr. / Diff. de  
Ministris Ecclesie, Helmstadt,  
1699.
23. Zeltner I. Gustav Georg. / Diff.  
qua Crucem Christi in V. S. pre-  
significatam Altorfi, 1714.

24. Zeltner, Gustav Georgii diff.  
~~ostendens~~ qua Josephi Silentium  
Evangelicæ Historiæ non nexium  
esse sititur, Altorfi, 1730,









15<sup>e</sup>  
**MISSAM**

Malach. 1. com. 11. non indicari,  
*DISSERTATIONE THEOLOGICA*  
INDULTU NUMINIS,  
ET SERENISSIMI  
PRINCIPIS CLEMENTIA,  
PRÆSIDE  
**THEODORO DASSOVIO,**

Licent. Profess. Theologo & Philologo, & ad D.  
Nicol. Pastore Primario,

*defendet ac tuebitur*

**GEORGIUS FRIDERICUS BOHN,**  
Thuringus,

*ad diem Novembr.*

In Auditorio Theologorum.

---

KILONI,  
RECVSA M DCC XIV.

(3)

MISSAM

Malsch. a. con. n. non indicat.

DISSERTATIONE THEOLOGICA

IN DEUM ET NUNTIUM

ET SEPTENTRIONEM

PRINCIPIS CLEMENTIAE

PRÆSIDIS

THEODORO DASSOVIO

Publico Prof. Theolog. & Philolog. & c. & c.

Facult. Theol. Præsidentis

disputat. & c.

GEORGII FRIDERICI BOHN

Thomæ

in diebus

In Auditorio Theologico

habita

REV. MDCCLXIV

(3)





I. N. J.

SECTIO I.

Explicans Pontificiorum Malach. I. com. II. de Missa interpretantium sententiam.

S. I.



Non litigabimus in præsens de voce Missæ an vox hæc in codice V. T. reperiatur. *Cæsar Baronius* quidem in *annalibus ad annum Christi 34. 7. 1. edit. Antwerp. p. 160.* afferit Deut. 16. v. 11. legi מסת נרבת מן מן munus voluntariæ oblationis tuæ, quod dare homo Deo immortali debebat, quod munus congruere cum munere Missatico affirmat, quia in Missa recolatur spontanea a J. C. facta oblatio. Sed Respond. sermonem esse de voluntario dono in festo pentecostali oblato, nempe de vi-

Amis salutaribus lætitiæ, quæ in lætitiâ festi dabantur, & augeri poterant, prout Deus majorem messis ubertatem concesserat, ut docet *Jarchius in b. l.* Nam illam oblationem de victimis intelligi debere fatetur *Majmonides in libro de primitiis c. 2. §. 4. & c. 4. §. 1.* Hinc etiam de dono interpretatur *Aben Melech. non de oblatione, in Michlajoppi edit. Amstelod. in fol. f. 39. col. 2. & Cohen. de Lara in Libro de convenientia vocabulorum Rabbinicorum cum Græcis edit. Amstel. in 4. p. 53.* ~~MISSAM~~ de ferculo sive edulio accipit. Itaque *Missam* non ab Hebræo derivari vocabulo, sed potius Latinam esse vocem, probant *Gerbard. Johannes Vossius in etymologico Lingvæ Latinæ edit. Amstel. in fol. p. 324. & Mathias Martinus in Lexico Philol. edit. Brom. p. 1060. seqq. & Job. Casp. Suicerus T. 3. in Thesauri Eccles. edit. Amstel. in fol. p. 461.*

§. II.

His igitur excussis, de Pontificiorum sententia videamus, quid illi de Malachiæ i. commate ii. sentiant & commententur. *Concilium Tridentinum sessio 22. c. 1.* suo calculo roborat, intelligi h. l. *Missam*; quam ita in eodem concilio describunt, quod in ea fiat verum visibile & externum sacrificium (*sess. 23. cap. 1. can. 1.*) quo ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolat (*sess. 22. cap. 1.*) seu offert Deo (*c. 3.*) corpus & sanguinem Christi (*cap. 1.*) idque sit sacrificium vere propitiatorium (*c. 2.*) & offeratur non solum pro fidelium vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis. Quam sententiam autoritate hujus concilii freti magno numero sequuntur Pontificii & variis stabilite argumentis conantur, quæ deinceps diluentur.

§. III.

Ut itaque respondeatur, dispiciendum est, quid proprie vocetur *Mincha* sive munus. Audiamus *Majmoniden qui in libro*

bro de oblationibus c. 12. §. 2. ita scribit: omnia munera constant ex similia triticea præter munus uxoris adulterii suspectæ & manipulum agitatum (in paschate) quæ erant ex hordeo. R. *Levi in Obimurh* annotat, Mincham sive munus esse sacrificii genus vario constans frumento, animantibus non item, ceu legitur in R. *Levita Barzellonita jure Hebræorum edit. Tigur. in 4. p. 144.* *Thomis Gatakerus in Cinno edit. Londin. in 4. p. 280.* Mincham sive munus ad animantis mactati victimam unamquemque fuisse adjectam autumat. Licet autem munera non ad unumquodque sacrificium adjicerentur, tamen ad aliqua adjiciebantur, & sic a sacrificiis distinguebantur, *Ezechiel Spanhemius dubiorum Evangelicorum Part. 3. edit. Genevens. p. 383. seq.* recte disserit hoc modo: *Gratis etiam dictum, Mincham fuisse sacrificium, oblatio enim fuit, sacrificium striete & proprie dictum non item, illa enim rerum inanimatarum fuit, istud animatarum. Sic gratis dictum, Mincham Eucharistia sacrificium representasse, quæ in Ecclesia Romana celebratur. Mincha enim erat oblatio rei inanimata, sacrificium Missaticum censetur esse oblatio rei animata: Mincha erat oblatio eucharistica (maximam partem,) Missaticum sacrificium censetur oblatio propitiatoria: Mincha ab omnibus offerebatur, sacrificium Missaticum non item. Sacrificium Missaticum offertur etiam pro mortuis, Mincha non item - - Adde si Dominus usus fuisset voce Mincha ut vult *Salmero*, vel proprie illam accepisset, & sic designasset munus ex farina oleo & thure, vel improprie & sic non designasset sacrificium proprie dictum (multo) minus sacrificium propitiatorium, inter quod & Mincham nulla datur analogia & c.*

§. IV.

Ex quibus luculenter patet, Mincham, sive munus differre a victimis animalium. Cum autem Pontificii hanc nobis distinctionem facile concedant, & hinc Missam tanquam munus N. T. Deo oblatum vocari nolint oblationem cruentam sive sacrificium, sed incruentam sive munus, dispiciendum erit ulterius

terius, an Missa vocari munus possit. In munere observabantur juxta Canones Hebræorum veterum actus quatuor, nempe sumptio pugilli, impositio pugilli in vas sacrum, deportatio pugilli ad altare, & combustio pugilli, qui quatuor actus correspondebant quatuor actibus in immolanda victima observari solitis, nimirum mactationi victimæ, exceptioni sanguinis in vas sacrum, deportationi sanguinis ad altare, & aspersioni sanguinis ad angulos altaris. Sicut itaque aspersione sanguinis erat expiatoria, imprimis in victimis pro peccato & pro reatu cæsis: ita etiam combustio pugilli in oblatione muneris erat expiatoria, imprimis in munere pro peccato a paupere peccante oblato & Levit. 5. v. 11. descripto. Si autem munus pro sacerdote peccante offerebatur, totum comburebatur, ut minime ambigamus, combustionem vel pugilli vel totius muneris fuisse Judæos homines expiatis. *Vid. Majmon. in Commentar. in Menachoth s. 1. edit. Rivensis fol. 306. p. 1.*

§. V.

Sed hæc quomodo quæso muneri Missatico congruent, & quomodo illud vere & proprie, ut Pontificii loquuntur, expiabit, quandoquidem nihil de pane in Missa comburitur, & sic nulla succedit expiatio? Licet enim sacrificium Christi in cruce peractum esset vere & proprie dictum sacrificium, vere expians, quia sanguis Christi ad altare crucis aspergebatur, & in sanguine asperso erat expiatio: tamen munus Missaticum expiatorium esse non potest, quia nihil de pane comburitur; Nam sicut expiationes in animalium victimis fiebant per aspersiones sanguinum ad altare, non per ignes, quia ignes combustorum animalium non expiabant, sed demum peracta expiatione per sanguinem, cremabantur victimæ: ita expiationes in munerum oblatione, sive in oblatione panum fiebant per ignes, quia combustio pugilli de panibus sumti, vel etiam combustio totius muneris panum

⊙ (7) ⊙  
æquivalēbat asperſioni ſanguinis expiatoriæ docentibus Hebræis  
iſtis.

§. VI.

Multo minus concipere mente poſſumus, quomodo mu-  
nus Miſſaticum offerri vere & proprie pro defunctis poſſit, cum  
nullum munus panum in gente Hebræa offerretur pro mortuis.  
Nam ſi quis munus hujusmodi conſecraſſet, & antequam offer-  
retur, mortuus eſſet, munus abjiciebatur in mare, tanquam res  
inepta & inutilis. Quod majus eſt, ſi pecuniæ deſtinatæ eſſent  
ad munus, & homo antequam illud munus emeretur, moreret-  
tur, ipſæ pecuniæ inutiles erant & abjiciebantur, ſicut m. fiebat  
in ſacrificiis pro peccato diſtinatis. Vid. *Maj. in Hilcb. Neſrut*  
*c. 9. §. 3.* & *Majmon. in Temura cap. 4. §. 3.* Licet autem munus  
ſartaginis offerretur, ſi ſacerdos ſummus eſſet mortuus, tamen  
non offerebatur eo modo ſicut offerebatur ſi viveret, nec illud  
munus erat conſecratum ſive voluntario datum, ſed debitum.  
*Vid. Majmon. in Temidin umuſapin c. 3. §. 23.* Ita etiam ſacrifi-  
cia non offerebantur pro mortuis, licet Patris Naſiræi ſacrificia  
poſt mortem filius Naſiræus offerre poſſet pro Naſiræatu proprio  
juxta *Majm. in Hilcbor Neſrutib. c. 8. §. 15.* Unde etiam ſacrifi-  
cium pro reatu poſt mortem proprietarii paſcebat, tanquam in-  
utile docente *Majmonide in Peſule Hammukdaſchin c. 4. §. 14.*  
Unde quoque holocauſtum pro mortuo oblatum non placabat  
proprietaryos, quia poſt mortem non erant proprietarii. *Juxta*  
*Majmon. in Peſule Hammukdaſchin, c. 15. §. 15.*

SECT.

## SECTIO II.

### Respondens ad argumenta Christophori Castri in Complutensi & deinde in Salmanticensi collegio Sa- crar. literarum Professoris.

#### §. I.

**C**hristophorus Castus in *Commentariorum libris in 12. Prophe-  
tas edit. Lugd. p. 519.* primum argumentum petit a consensu  
Patrum his verbis: *Est igitur germana ac certa hujus vaticinii in-  
telligentia de repudiatione veterum sacrificiorum inducta inter gen-  
tes Evangelica luce perlustratas divinissima ac purissima hostia agni  
immaculati Christi Jesu. Nam sic intelligit communis Patrum  
sensus quem referre gravabor &c.* Resp. Patres hæc verba Mala-  
chiæ de spiritualibus oblationibus accepisse luculenter probat  
*Joannes Crocius Anti Becani l. 2. p. 380. 381. & in Anti Becani Vin-  
dicati T. 2. p. 361.*

#### §. II.

Alterum argumentum petit a significatione vocis *Mincha*,  
quæ significet donarium contradistinctum oblationi ignita: Ver-  
ba ejus hæc sunt p. 520. *Potest & juxta discrimen supra statu-  
rum*



tum inter Muktar oblationem ignitam seu incensum & mincha donarium, per incensum significari victimam corporis Christi incensa & ignita igne charitatis, quæ nidorem foetissimum emittit, quæ placatur Deus: at per Mincha significari donaria ex simila, thure oleo, cum vino confecta, scilicet cultum omnem & ritum sacrum, quo victimam offertur Deo in officio Missæ. Resp. Supra p. 518. distinxerat inter Muktar & Mincha, ut Muktar de agnis quotidianis mane & vespere oblati & incensis, Mincham autem de munere cum agno matutino & vespertino oblato interpretetur, & oblationi ignitæ contradistingvat; Sed expresse fatetur *Majmonides in libro de oblationibus c. 13. §. 2. 3. 4.* quod pars dimidia hujus muneris cum dimidio pugillo thuris singulo mane combureretur & pars altera dimidia cum dimidio pugillo thuris altero singula vespere combureretur. Itaque quomodo hoc munus quod comburebatur, muneri Missæ congruat, de quo nihil comburitur, non apparet. Aut enim negandum est, missam non esse munus propriè dictum, aut propriè dictus in Missa ignis adhiberi debet.

§. III.

Tertium argumentum petit a glorioso Dei nomine, quod illud per Missam innotuerit gentibus. Verba ejus hæc sunt; *Gloriosum ac magnum igitur factum est Dei nomen inter gentes cum omnes cognoverunt uno hoc selectissimo sacrificio & purissima oblatione pro aliis omnibus, diversis numinis oblati uni Deo gratias agi ut auctori bonorum omnium, quæ illa uti diversa & a diversis numinibus præstita, diversis accepta referebant.* Resp. Nondum demonstratum evictumque est, nomen Dei per Missam gloriosum fieri gentibus, quia potius per Evangelicam doctrinam nomen Dei a gentibus celebratur, ut explicat *B. Lutherus l. 7. Altenb. p. 204.* Nam gentium conversio a Malachia prædicitur, & cultui Levitico mox tollendo opponitur.

B

SECT.

SECTIO III.  
Respondens ad argumenta  
Roberti Bellarmini Cardi-  
nalis.

§. I.

**B**ellarminus in lib. 1. de Missa c. 10. scribit: prophetam Malachi-  
am non loqui de sacrificiis spiritualibus sed de vero externo sa-  
crificio, quod veteribus in Novo Testamento successit, quale nullum  
sit aliud quam sacrificium Missaicum Resp. Nondum probatum  
est, aliud externum sacrificium sacrificiis V. T. debuisse succede-  
re, quam solum sacrificium cruentum Christi, in arca crucis im-  
molati Ebr. 9. 12. seqq. Quod si regerant Pontificii, Missæ sacri-  
ficiū idem esse cum sacrificio crucis, sed tantum differre modo  
& ratione offerendi, respondemus si Christus in Massa incruento  
offeretur modo, & sic ille modus offerendi differt ab oblatione  
in cruce facta utpote cruenta, explicetur quæso, quomodo Mis-  
sa munus sit proprie dictum & quidem propitiatorium. Nam in  
munere proprie dicto non offerebatur caro, sed potius munera  
contradistinguebantur oblationibus a carne sumptis, tanquam  
oblationes panum. Nec expiatio munerum cum expiationibus  
carnium victimarum sacrarum confundi debet, quandoquidem  
munera per ignem, carnes autem per sanguinem aspersum ex-  
piabant, ut sic carnes offerri in muneribus non possent, quia ubi  
carnes offerebantur ibi sanguis requirebatur, quia a muneribus  
sejungebatur. Imo si sacrificium proprie dictum intelligeretur, et-  
iam incensum, & Mons sanctus proprie intelligerentur. *Vid. Re-  
neccius in Panoplia §. 2. c. 80.*

§. II.

§. II.

Urget præterea *Bellarminus in Malachia cap. i. agi de sacrificio novo, sacrificia autem spiritalia* (qvalia nos intelligimus) *etiam in V. T. fuisse usitata.* Sed Resp. Licet ambabus largiamur manibus, spirituales victimas precum, laudum fidei &c. in V. T. viguisse, tam variis sacrificiorum typis involvebantur, in N. T. autem majori luce gaudent discussis umbrarum Leviticarum nebulis. Imo si per oblationem Malach. i. descriptam prædicatio Evangelii intelligitur, erat illa prædicatio Evangelii de Deo in carne manifestato plane nova, imprimis cum in omni loco illud Evangelium quasi argenteis promulgaretur turbis, cum in V. T. Deus non nisi in Juda esset notus, & in Israele magnum esset nomen ejus.

§. III.

Fatetur quoque *Bellarmin. l. c. de Missa c. 7.* Munus Missaticum offerri pro mortuis posse. Sed Resp. non offerebatur munus pro mortuis, ut mortuos juvaret, licet filius patris mortui munus pro se non pro patre offerre ex institutis veterum Hebræorum posset. Præterea qui vera fide, in Christum moriuntur, plene mundati sunt, & nullo amplius munere propitiatorio indigent, quia nullus post remissam culpam, poenæ remanet reatus. Videatur *Calovius Metaologia Papistica Sectione 4. de cultu & Ecclesia p. 184. & 185.*

SECTIO IV.

Respondens ad argumenta  
Martini Becani Societatis  
Jesu Theologi.

## §. I.

Objicit Becanus (1) Malachiam dicere esse in Novo testamento offerendam oblationem mundam, deinde querit: quæ nam sit illa oblatio munda, & respondet Catholicos cum antiquis Patribus dicere esse corpus & sanguinem Christi sub specie panis & vini. Resp. Non potest Malachias explicari de oblatione corporis & sanguinis Christi sub specie panis & vini, quia Christus non nisi semel se obtulit in ara crucis nec aliud sacrificium a Christo institutum est. Aut igitur dicendum vaticinium Malachix nondum esse impletum, aut asserendum non de oblatione proprie dicta sed de spirituali oblatione debere explicari. Quod autem ad Patres attinet, quibus Becanus nititur, eos non favere Becano luculenter ostendit Joannes Crocius in *Anti-Becani l. 2. p. 380. 381. supra allegatus.*

## §. II.

Objicit Becanus 2. Malachias opponit oblationem nostram oblationi iudaorum ex parte rei oblata. Quæ oppositio in eo consistit quod panes & animalia quæ offerebantur in sacrificiis Judæorum, sepe erant vitiosa & immunda. At id quod offertur in nostro sacrificio (Missalico) semper sit mundum. Hoc aliud esse non potest, nisi corpus & sanguis Christi. Nam reliqua omnia quæ Deo offerimus, sepe vitiosa & imperfecta sunt. Resp. si intelligitur munda oblatio opposita sacrificiis Judæorum vitiosis, non intelligitur absolute munda oblatio, quia in V. T. non erant absolute munda oblationes, quæ in templo offerebantur, sed erant tantum munda secundum quid, quia erant sana animalia & vegeta, Deo consecrata, nullam autem habebant sanctitatem internam. Cum itaque ne in V. T. quidem absolute munda oblatio opponeretur oblationi vitiosæ, quomodo in N. T. absolute munda oblatio opponi vitiosæ potest, & de oblatione corporis & sanguinis Christi

Alii tanquam absolute munda oblatione explicari. Conf. *Meisarius*  
*in Anti. Becani T. 2. p. 323. & 328.* Itaque de oblatione munda,  
 quæ fiat in prædicatione Evangelii, in adoratione Dei, in lauda-  
 tione Dei, in eleemosynarum exhibitione Prophetæ sermo est  
 quæ licet non omni careant immunditie, utpote ab hominibus  
 labe peccati infectis Deo exhibita, tamen Deo grata sunt Hebr.  
 13. v. 15. 16. Unde ipsimet Judæi, qui quid munus, purum sit,  
 probe intelligunt, de precibus interpretantur quamvis illas pre-  
 ces a Judæis fundendas esse opinentur. Ita enim scribit *Abra-*  
*ham Bar Jehuda Chassan Cremonensis in Sepher Chibbur Laketh e-*  
*dit. Lublinens. in fol. 11.* וכן ככל תפילות ישראל שמתפלל  
 וכן ככל מקום הרי הן כמנחה שחורר  
*Ita etiam omnes preces Israelis, quas fundunt in quocumque loco sunt instar*  
*oblationis munde. Conf. Jarchius in Malach. 1. Et Hirsch Altsch-*  
*ulerus in Ajala Schelucha edit. Cracoviensis in fol. fol. 50. p. 2. in h. l.*  
 laudat Chaldæum paraphrasten quod ille hunc locum idonee ex-  
 plicuerit הו ובכל עירן דאתן עבדון דעותי אנן  
 מקבל צלותכון ושמי רב מאקדש עליכון וצלותכון  
 בקורבן זכאו קדו *Transulit Jonathan: & omni tempore quo*  
*vos facitis voluntatem meam, ego suscipiam preces vestras, & no-*  
*men meum magnum sanctificabitur per vos & preces vestrae instar*  
*oblationis munde (erunt) coram me.* Alii Judæi de legis divinæ  
 scrutinio interpretantur, quod si legem scrutentur, Deus hoc  
 scrutiniū boni consulturus sit, non aliter acsi oblationem vel  
 suffitum obtulerint, ut legitur in *Menachoth fol. 110. col. 1. citante*  
*Aarone Miffesaro in Toledoth Aaron. edit. Amstel. in 4. in Malach.*  
*1.* Quæ propterea recitantur, ut constet, Judæos ipsos non mu-  
 nus proprie dictum, sed munus spirituale intelligere h. l. Sed  
 ut Judæos missos faciamus ipse *Theodoretus operum T. 2. edit. Pa-*  
*risina fol. 235.* mentem prophetæ de cultu divino interpretatur his  
 verbis, latino idiomate expressis: *Nam omnium habitatores ter-*  
*rarum, quos sol exoriens & occidens suis radiis illustrat, & ubi-*  
*que incensum tibi offerent, & hostiam puram, tibi quoque gratam sa-*  
*crificabunt. Cognoscent enim nomen meum & voluntatem, & de-*  
*bitum*

bitum cultum exhibebunt. Sic etiam Dominus ad Samaritanam :  
*Mulier crede mihi inquit, quia venit hora, & nunc est, quanto nec  
 in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem Spiritus e-  
 nim est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet  
 adorare.*

S. III.

Objicit Becanus 3. Malachias loquitur de nova oblatione, qua  
 successura sit sacrificio Mosaico, & futura propria Christianorum.  
 At bona opera neque nova sunt, neque succedunt sacrificio Mosaico,  
 neque sunt propria Christianorum cum fuerint usitata ab initio mun-  
 di a Patriarchis, Prophetis, Apostolis, & eorum successoribus. Er-  
 go bona opera non sunt oblatio munda, de qua loquitur Malachias.

Resp. 1. Oblationem de qua Malachias loquitur successuram esse  
 sacrificio Mosaico; ne Judæi quidem concedunt, siquidem *Dox  
 Isaac Abarbanel in Perusch et nebbiim echaronim edit. Amstel. in  
 fol. 298. col. 1.* scribit gentes Deum culturas esse, licet ignorarint &  
 nunquam didicerint cultum Mosaicum, sed ex insita Dei notitia  
 ad illum colendum motæ inductæque fuerint, sicut etiam esse  
 Deum ex motu solis siderumque didicerint. Et *Kimchius in Bibl.  
 Rabbinicis Buxtorfianis fol. 694. p. 2.* scribit, gentes, quia Dei  
 cultum ignorabant, & tamen illum colebant utut injustæ judica-  
 turas esse Judæos, Deum non recte, ut injunxerat colentes. Resp.

2. Novum futurum esse hoc munus Malachias non asserit, & si vel  
 maxime assereret, dici tamen posset, prædicationem Evang. esse  
 novam ratione temporis, quia novo tempore annunciandum e-  
 rat, esse novam ratione loci, quia in toto orbe annunciandum e-  
 rat, esse novam ratione modi, quia clariore modo in Evangelio  
 annunciandus erat Christus, quam annunciabatur sub typis &  
 umbris V. T. ita autem prædicatio Evangelii non excludit preces  
 & alia pietatis exercitia, quæ sunt quasi sancta Dei oblatio, sancti-  
 ficata per Spiritum S. ut loquitur Paulus Rom. 15. v. 16.

SECT.

SECTIO V.

Respondens ad argumenta  
Casparis Sanctii Centum-  
puteolani e Societate Jesu  
Theologi, & in collegio  
Complutensi Sacrarum li-  
terarum interpretis.

§. I.

**C**aspar Sanctius probat, suam de Missa sententiam, quia ab Hieronymo hujus angustissimi sacrificii dignitas excitetur. Verba Hieronymi hæc sunt: *Ut sciant (Judæi) carnalibus victimis spirituales victimas succurras, & non in una orbis provincia Judeæ, neque in una Judeæ urbe Jerusalem, sed in omni loco offerendam oblationem, nequequam immandam, ut a populo Israel, sed mundam, ut in ceremoniis Christianorum. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum esse nomen Domini in gentibus.* Resp. Hieronymum expressis verbis dicere, spirituales victimas esse succurras Judæorum victimis carnalibus. E. non intelligit sacrificium Missaticum quia illud non est spirituale, sed vere & proprie dictum sacrificium incrementum, ut Pontificii cum Concilio Tridentino loquuntur. Nec nomen Dei per totum orbem

ma-

magnum sit celebratione Missæ, sed potius prædicatione Evan-  
gelii, & exercitio pietatis, quoniam in pluribus locis prædicatur  
Evangelium, quam celebratur Missa, siquidem & inter Prote-  
stantes, qui Missam, missam faciunt, Evangelium prædicatur.

Argumenta. §. II.

Probat. 2. quia Patres de tempore Evangelii & augustissimo  
Eucharistico sacrificio Malachiam explicant. Resp. Patres tam a  
*Sanctio*, quam *Becano* & *Castro* allegatos excussit *Joannes Crocius*  
*supra citatus* & illorum verba de spiritualibus sacrificiis, non ve-  
ro de Missa interpretatus est. Imo si Patres tantopere laudat  
*Sanctius*, quæso redeat in gratiam cum suo *Menochio*, qui pro no-  
stra militat sententia, & scribit in h. l. *Brevi per Christum officiam,*  
*in nomen meum gentibus prædicetur, in toto orbe, illæque me ubi-*  
*que agnoscant, adorent, celebrent.* Vid. *Friedlieb. in Theol. Exege-*  
*tic. T. 1. p. 992.* Cum quo congruunt verba *Joannis Piscatoris*  
*Commentariorum in omnes libros V. T. T. 3. p. 509.* scribentis in h. l.  
*id est, cultus spiritualis mihi exhibebitur, qui nunc per externum il-*  
*lum cultum figuratur.*

§. III.

Probat. 3. sententiam suam *Sanctius* ex Concilio Tridentino  
his verbis: *Accedit ad extremum Concilii Tridentini sacrosancta*  
*autoritas, quod sessione 22. cap. 1. sic de Eucharistie sacramento*  
*(docet) & hæc quidem illa munda oblatio est, qua nulla indignitate*  
*aut malitia offerentium inquinari potest, quam Dominus per Mala-*  
*chiam nomini suo, quod magnum furarum esset in gentibus, in omni*  
*loco mundam offerendam prædixit.* Resp. Autoritas Concilii  
Tridentini non sufficit, ut Missatica oblatio stabiliatur. No-  
tum enim est, quomodo res in isto Concilio gesta sit, quomodo  
damnati ibidem Protestantes fuerint, licet nec admissi nec audi-  
ti essent. Videantur qui hanc rem consignarunt literis, *Petrus*  
*Swavis*



Svavis sive Paulus Sarpus, Venetus, Johannes Calovus in actis Synod. Tridentinae, Job. Henricus Heideggerus in tumultu Concilii Tridentini Tomi 1. 2. & imprimis ex nostris Marc. Chemnitzius in Examine Concilii Tridentini. Quod autem Concilium Tridentinum ex Concilio Florentino pleraque desumpserit, probat Egidius Strauchius in Theol. Polem. MS. loco 22. de S. Domini Cena Controversia 50.

## SECTIO VI.

Respondens ad argumenta  
Cornelii, Corn. a Lapide e  
Societate Jesu, in Lovanien-  
si & postea in Romano Col-  
legio sacrarum literarum  
Professoris.

§. 1.

**C**ornel. a Lapide in Commentariis in 12. Prophetas Minores edit. Antverp. p. 800. probat sacrificium Missaticum a Malachia indicari (1) quia Missa cum Judæorum sacrificio farreo conveniat. Verba ejus hæc sunt: *Alludit Malachias ad sacrificium jage, quod quotidie tam mane, quam vesperi offerebant, in quo victima erat agnus, cum decima parte simile consperse oleo Exod. 29. c. 38. Agnus enim representabat Christum, simila speciem panis, sub qua ipse in Eucharistia immolatur.* Resp. Præsupponit Jesuita agnum illum quodotianum simul cum similia oblatum fuisse, sicut Pontificii  
C  
Chri.

Christum tanquam agnum Dei sub pane in Missa offerre volunt. Sed longe aliter ferres habebat, siquidem posteaquam membra jugesacrificii in altare delata essent, recitabant sacerdotes benedictionem solemnem Num. 6. descriptam, in gradibus porticus consistentes, deinde demum offerebant munus similia & illo oblato offerebant munus sacerdotis summi, quod vocabatur munus sartaginis & tandem libabant vinum ad simillam jugesacrificii allatum, ut inculcat *Majmonides in libro de jugesacrificiis & Superadditis c. 8. §. 5. 6. 7.* Si itaque hæc Missæ congruerent, deberet primo offerri in ea Christus sine pane, deinde panis sine Christo, neque calix vini venire deberet in altare sed deberet effundi ad pavementum sicut libamina ad altaris pavementum effundabantur. Deinde in præcedentibus simillam jugesacrificii se habuisse autumat instar molæ puræ apud gentiles, quasi farina victimæ immolendæ caput aspergeretur: sed ista similia tota comburebatur. *Vid. Majmon. de oblationibus c. 2. §. 1. seqq. E.* si hæc similia adumbrat panem Missaticum, deberet ille panis comburi totus.

§. II.

Probat (2.) P. 800. indicari a Malachia sacrificium Missaticum, quia hoc sit oblatio munda. Ita enim commentatur: *Hoc Mincha erit in se munda & sancta victima, ita ut semper maneat munda, etiamsi etiamsi eam offerentes sint immundi. Talis autem est sola eucharistia, in qua victima est ipse Christus mundissimus & sanctus sanctorum.* Quod argumentum p. 801. ulterius extentit ut illam mundam oblationem tribus in lege sacrificiis, nempe holocausto, sacrificio pro peccato casto, & sacrificio pacifico successisse asserat. Resp. Non dicit Malachias illam oblationem absolute mundam futuram esse, sed mundam scilicet secundum quid, sicut in V. T. sacrificia vocabantur munda non absolute sed secundum quid. Unde hæc de cultu divino N. T. tanquam sacrificiis spiritualibus facile explicantur. Nam prædicatio Evangelii est munus mundum, si verbum Dei prout in scriptu-

pturis continetur, prædicatur, munus precum est munus purum  
 quatenus preces ex fide in Christum funduntur &c. nec obstat  
 quod ille cultus ab hominibus ex labe peccati immundis peraga-  
 tur, quia non innuit propheta munus absolute purum. *Vid. Calo-  
 vius in Bibl. illustrat. V. T. T. 2. p. 105.* Nec dici potest, Missam  
 successisse holocausto cum non totus comburatur panis Missati-  
 cus, nec dicendum successisse vel sacrificio pro peccato vel salu-  
 tari, quia de illis aliqua edebantur aliqua (interdum etiam tota)  
 comburebantur, quæ non fiunt in pane Missatico, utpote quid  
 totum asservatur.

§. III.

Probat 3. p. 800. indicari a Malachia sacrificium Missaticum,  
 quia Malachias solis loquatur sacerdotibus. Verba ejus ita so-  
 nant: *Tertio quia Malachias solis hic loquitur sacerdotibus Aaro-  
 nis, ut dixi v. 6. eorumque mensæ & victimis pollutis opponit sacer-  
 dotes, altare, & victimam mundam legis novæ. Ergo loquitur  
 de sacrificio non metaphorico & mystico, sed genuino & proprie di-  
 cto. Hæc n. tria scilicet sacerdotes, altare, & sacrificium sunt cor-  
 relatiua, ut ubi unum est, cætera duo adesse necesse sit.* Resp. Non-  
 dum probavit Jesuita, Malachiam velle opponere sacerdotes Aa-  
 ronicos sacerdotibus N. T. proprie dictis. Nos potius ita con-  
 cludimus; Sicut nullum altare proprie dictum & nulla victima  
 proprie dicta extra Palæstinam erant: ita quoque nullum sacrifici-  
 um proprie dictum extra Palæstinam nequidem concipi men-  
 te humana potest. Itaque illa correlata non nisi de V. T. intelli-  
 gi debent, in N. T. autem sacrificia spiritualia offeruntur.

§. IV.

Probat 4. p. 800. intelligi sacrificium Missaticum, quia ad-  
 hibeatur verbum Muktar. Verba hæc sunt: *Quarto idem convin-  
 cit vox: sacrificatur, pro qua Hebr. est Muktar i. e. adoletur, in-*

*ceditur, suffumigatur crematur. Oratio autem non incenditur, nec crematur, sed victima proprie dicta. Unde Muktar idem est, quod sacrificatur quia olim omne sacrificium Deo cremabatur. Resp. i. se Kimbium in libro Radicum f. 439. explicat vocem Muktar de adolitione suffitus, non de combustione victimarum. Licet autem interdum etiam de combustione victimarum in sacro codice adhibeatur, tamen nihil in Missa comburitur, fatente ipse *Corn. a Lapide* & dicente, si eucharistia transubstantietur, & manducando consumatur, Deo sacrificari. Sed hac ratione combustio allegorica indicaretur, quæ pugnat cum munere & sacrificio proprie dicto. Oratio autem recte dicitur suffimentum juxta Psalmum 141. v. 2.*

§. V.

*Propat 5. ex vocibus; in omni loco: & dicit: Quinto idem ostendit tō in omni loco & in gentibus. Nullum enim est sacrificium, quod ubivis gentium a fidelibus offeratur, nisi Eucharisticum. Resp. annon sacrificia spiritualia precum in pluribus offeruntur locis quam Sacrificium Missaticum? imo annon oratio & agapæ collatio, quæ ad eucharistiam instituebantur, erant sacrificia spiritualia, quorum causa Patres vaticinium Malachiæ ad Eucharistiam applicant, ut docet *Calovius Biblior. illustratorum V. T. T. 2. p. 1054.* Nec sacrificium ἱλαστικὸν offerri poterat nisi in eo loco, in quo pax danda erat, ergo non in omni loco offerri sacrificium Missaticum, tanquam ἱλαστικὸν potest. Videatur *Coccejus Operum T. 3. p. 684.* Quod autem non sit ἱλαστικὸν, felse probat *Gerhardus in confessione Catholica p. 1201. edit. Francof.**

§. VI.

*Probat 6. cum dicat Malachias suffimentum offerendum esse, alludere illum ad Mincham sive munus Judaicum, cui thus imponebatur, quod totum Deo proprie Muktar i. e. suffumigabatur, & cremabatur, juxta legem Levit. 2. v. 2. per thus enim, quod omnium gentium usu & ritu Deo adoleitur, significabatur rem hanc, puta*

*puta Mincha i. e. sacrificium farreum Deo offerri, & sacrificari. Unde & in nostris solemnibus Missis adhibetur thurificatio. Per hanc ergo thurificationem Propheta metonymice intelligit sacrificium, cuius illa est index & symbolum imo pars aliqua. Resp. Pugillus thuris in V. T. non comburebatur, ut significaret sacrificium farreum sacrificari, quia & ipsum sacrificium farreum sacrificabatur in pugillo farris de eo combusto, Vid. Majmon. de colat. c. 13. Ergo nec thurificatio Missatica significare potest Missæ sacrificium sacrificari vel comburi, sed deberet de ipso pane aliquid comburi, si vere & proprie sacrificaretur. Nam cum ignem charitatis, quo Christus se Deo Patri obtulit, ut & ignem precum quibus eucharistia condiatur, urget Cornel. a Lapide, ignes allegoricos affert, cum proprios ostendere debuisset.*

S. VII.

Probat 7. Libari etiam in Missa calicem quia in V. T. cum munere libabatur vinum. Quæ ita enunciat p. 801. Porro *Mincha* proprie erat sacrificium farreum, puta farina & panis Levit. 2. quod proinde sua forma & specie erat expressa figura sacramenti & sacrificii Eucharistie: Unde & cum illo in iuge sacrificio agni, quondam die libabatur vinum juxta legem Exod. 26. 30. quod representabat alteram speciem Eucharistie scil. vini, sub qua ex vi verborum consecrationis ponitur & immolatur sanguis Christi, uti sub specie panis, vi eorundem ponitur corpus Christi. Resp. si Libamina adumbrarent consecrationem vini Missaticam, tunc vini calix non in altari consecrandus esset, sed effundendus ad pavementum, ut effundi libamina solebant. Si quoque munus libaminum sive similia quæ offerebatur cum sacrificio adumbraret consecrationem panis, tum etiam abesse deberet thurificatio Missatica, quia munus libaminum non requirebat thus. Imo si judæorum libamina huc trahantur, attendatur quæso, quod illa cum nullo sacrificio pro reatu & peccato conjungerentur, quia non nisi cum iis conjungebantur sacrificiis, quæ votiva erant & voluntaria, quæ

lia hæc jam dicta esse non poterant quia erant debita, fidem faciente *Majmonide in libris de oblationibus c. 2. §. 1. seqq.* Quomodo ergo munus Missaticum tanquam expiatorium conferri cum munere libaminum Hebræorum veterum possit?

## SECTIO VII.

### Respondens Petro Daniel Huetio & Francisco Car- riere Aptensi ordinismino- rum Conventialium.

§. I.

**P**etrus Daniel Huetius in *demonstratione Evangelica ad serenissimum Delphinum edit. Amstel. p. 887. & 888 scribit Malach. 1. c. 10. & seqq.* agere de incruento sacrificio a Jesu instituto, & probat ex verbis institutionis ab Evangelistis & a Paulo *1. Cor. 11.* recitatis ut & ex *1. Cor. 10. v. 16.* Resp. Cum eadem verba urgeat Bellarminus, hinc ad ejus simul argumenta respondebimus. Non obtulit Christus se ipsum sub specie panis & vini, & hinc nec illud fieri jussit ab Apostolis & illorum successoribus. Licet enim Christus utatur verbis presentis temporis, cum dicit: datur, frangitur, funditur, non tamen vult dicere dari & effundi in sacrificium, sed presenti utitur pro future, ut apostoli acciperent Christi corpus & sanguinem, tanquam victimæ in crucis ligno immolandæ, imo si Christus, se in cœna Deo Patri obtulisset, non amplius offerri in cruce debuisset, quia Christus. semel tantum se offerre debuit *Ebr. 7. v. 27. & 9. v. 28, & 10. v. 12.* vel etiam in verbis institutionis illam oblationem indicasset. Nec quando  
Chri-

Christus dixit: hoc facite in mei commemorationem, dicere vo-  
luit sacrificare; Nam hac ratione non solum sacrificuli, sed omnes  
quoque Laici sacrificarent. Videatur *Renecius in Panoplia T. 4.  
p. 281. §. 282 & Balib. Mentzerus in Anti Pistorio Oper. Lat. Tom. 2.  
p. 1745. seqq.* Licet quoque pro Missa probanda allegetur *1. Cor. 10.  
p. 16.* tamen respondet *Gerhardus in Dogmat. Papal. p. 81.* Mirum  
viro, quia veritatis specie sacrificium Missa ex his verbis elici posse.  
Nullus unquam ex scriptoribus Pontificiis celebrioribus hoc dicto ad  
stabilendum Missa sacrificium abusus est, quantum quidem mihi con-  
stat &c.

§. II.

*Franciscus Carriere in Comment. in universam scripturam edi-  
dit. Lugd. 518.* ita in Malach. i. commentatur: *Hebraice est Mincha,  
quod licet in genere munus seu donum significet, a Deo tamen ap-  
propriatur particulari specie sacrificii ex pane vel farina confecti, ut  
Levit. 2. quod accedente ordinario libamine vini, ut Num. 15. pra-  
scribitur, typus erat sacrificii novae legis eucharistici, in quod unum  
& solum quadrant perfectiones sacrificii ut expresse docent doctores  
orthodoxi omnes & Rabbini non pauci, quos citat Galatinus lib. XI.  
c. 11.* Resp. Si libamen muneri adjiceretur, non poterat esse *יא-  
מין* vel propitiatorium ut supra diximus, nec poterat esse voti-  
vum vel voluntarium si esset expiatorium; quomodo ergo Num.  
15. ubi de votivis & voluntariis oblationibus agitur, huc trahitur  
ad Missam tanquam sacrificium expiatorium. Nec Galatinus  
favet, qui cum Rabbiorum sententias p. 599. edit. *Francos.* re-  
censuisset, subjungit. *Ex quibus omnibus clare patet judaica sa-  
crificia olim per Moysen mandata tempore Messie spiritualiter ser-  
vanda fuisse.*

SECTIO ULTIMA.  
Explicans veram de Malach. i.  
commat. ii. Sententiam.



§. I.

**L**icet multi adhuc ex Pontificiis adduci possent, qui Missæ sacrificium deprædicant, tamen cum non nova argumenta afferant, sed potius Missæ frequentationem ut sacerdotes, commendent, nominasse eos suffecerit. Horum autem sunt præcipui *Josephus Mansus Congregat. Oratorii Romani Presbyter in Bibliotheca Moralis l. 3. tractatu 48. discursibus quindecim p. 199. seqq. edit. Moguntin. Franciscus Labata Societ. Jesu in Thesauri Moralis T. 2. edit. Antwerp p. 110. propositionibus duabus. Marcellinus de Pise Matiscensis Moralis Encyclopædia T. 1. edit. Paris. p. 255. seqq. & p. seqq. 28. Tobias Lobner S. J. in Bibliotheca manualis T. 1. p. 380. seqq. edit. Dilingensis, Mathias Faber, in Concionum Opere Tripart. part. byem. p. 869. seqq. edit. Colon. p. 101. Bona Card. in suis operibus. edit. Antwerp. p. 375. seqq. & 411.*

§. II.

Nostra autem sententia hæc est, Malachiam loqui præcipue de prædicatione Evangelii, de Deo in carne manifestato, in omni loco, quæ prædicatione nomen Dei magnum factum est inter gentes, cum antea tantum in juda Deus esset notus, & in Israel nomen ejus magnum Psalm. 76. v. 2. Ita autem illam prædicationem intelligimus, ut non excludantur reliquæ cultus spiritualis partes v. g. preces & alia pietatis exercitia. Quia autem per prædicationem Evangelii gentes Deo offeruntur, hinc dicitur oblatio Deo accepta Rom. 15. v. 16. Quæ vero de thure & igne attingit Propheta, spiritualiter accipienda sunt de igne fidei & charitatis, & de thure precum. Frustra itaque *Becanus Huttero* objicit, non omnes prædicare Evangelium, ut dixerat *Hutterus E.* non omnes offerre oblationem mundam. Nam Resp. *Hutterum Eyan-* gellii Prædicationem principaliter intelligere non exclusis reliquis cultus divini partibus.

FINIS.





99 A 6932

V517

Jul. 85.







# MISSAM

Malach. 1. com. 11. non indicari,  
*DISSERTATIONE THEOLOGICA.*  
INDULTU NUMINIS,  
ET SERENISSIMI  
PRINCIPIS CLEMENTIA,  
PRÆSIDE  
THEODORO DASSOVIO,  
Licent. Profess. Theologo & Philologo, & ad D.  
Nicol. Pastore Primario,  
*defendet ac tuebitur*  
GEORGIUS FRIDERICUS BOHN,  
Thuringus,  
*ad diem Novembr.*  
In Auditorio Theologorum.

KILONI,  
RECVSA M DCC XIV.

(3)